









1
2
3
1
4
2
3
1
1



1746.

1. Baumgarten, Alexander Gellius : Scenographia
juris socialis primarii

2. Hackeman, Jo. Gellius, de : De praestatione casus.

3. Pesterus, Jo. Christoph. : De testamento arcano
1748

4. Beck, Fridericus Thamae : De iis, quibus jure Romano
non est permittum facere testamentum

2. Pesterus, Jo. Christophorus : De postulato pontificis R.
confirmandi Electionem regis Romanorum sibi nuntia-
tum.

3. Wibeling, T. D. : De incommotis per interpretationes
usuales et observantias in juri prudentiam invecies

1750.

1. Beauvois, Ludovicus, de : De novellis ad jeo
hierarchicum principum pertinentibus

2^o = Boehmerus, Franc. Samuel Historicus : De praecipuis
juris Germanici ite causis privati. 2 Tompt. 1705
1753

3. Hackeman, Jo. Guil. de : Jus liberorum separatim

4. Pesterus, Jo. Christophorus : De Servitio interdicto utili

5. Pesterus, Jo. Christophorus : Officium archipanearii
ex jure politico regni Franciae veteris

6. Pester, Jo. Christophorus : De origine vocis Lehmann

7. Thiel, Franc. Northeim : De concessionibus ad furiosum
devolute

8. Pester, Jo. Christophorus : De herede fiduciario furioso

9. Uhlius, Franc. Ludovicus : Singularia quaedam legum
cambictum capite

29

0

3.

4.

5.

6

7.

8

9



1746, 23, 69. 2 /
658

Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM IVRIDICAM
DE
PRAESTATIONE CASVS
PRAESIDE
IO. GOTTL. de HACKEMAN

I. V. D. ET PROF. PAND. P. O.
ORD. IVRID. H. T. DECANO
XVI. KAL. MAII MDCCXXXVI
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SVBMITTET
CHRISTIAN. SIGISMVND. FLEMMING
PROBSTHAYN. SILESIAC.
H. L. Q. C.

FRANCOFVRTI AD VIADRVN.
Typis ALEXIANIS.

INZVHALT



Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM IURIDICAM
DE
PRAESTATIONE CASVS
PRAESIDE
IO. GOTTL. HACKEMAN

I. V. D. ET PROF. PAND. P. O.
ORD. IURID. H. T. DECANO
XVI. KAL. MAII MDCCXXXVI
PABLIcae ERVDITORVM DISPOSITIONI
SPONTIET
CHRISTIAN. SIGISM. ND. FLEMMING
PROCT. MAI. SHERAG
H. L. O. C.

FRANCOFRTI AD. MADRINM.
Typis ALEXAND. S.



PRAESTATIO CASUS.

§. I.

DE praestatione casus, tanquam praecipuo eorum, si a culpa, dolo reliquisque recedimus, quae in contractibus communiter praestanda ueniunt, momento in praesentia acturi sequentes, easque in ipsis legum fontibus fundatas, praemittimus definitiones. Prima earum casum concernit. *Casus itaque est, qui nulla diligentia humana praecaueri et praevideri potuit.* L. 18. commod. L. 2. §. 7. de admin. rer. ad ciuit. L. 11. §. 4. 5. de minor. Quidsi uero, obiiciat non nemo, euentus iste uel prudenti praemisso examine uel tantum ex probabili ratione praevideri potuerit? Nec tunc inputationem inuenire locum, nisi scientia et intellectus uere praecesserint, ut ita damna, quae imprudentibus accidunt, socii non cogantur praestare, L. 52. §. 3. pro soc. tam certum est, quam quod certissimum. Cui nostrae sententiae etiam ad stipulatur uir summus B. HENR. de COC-

Definitio.

A
CEII

CEII *Diss. de dolo, culpa et negl. Et ergo, inquit, si quis praeuidit et non auertit, quum proposito eius contigit, adeoque non casu.* Inprovisus enim casus tum demum accidit, quando quis nesciuit, eum euenturum. Nam, quum in *cit. leg. pro communi* reputetur damno, si nihil dolo aut culpa acciderit, quod sciens casum ac intelligens utique teneatur, rectius dicendum esse existimo. Vnde etiam aliorum iam tum reiecimus emendationem criticam, loco uocis *potuit* in subministrata casus definitione uoculam *debit* substituentium. *uid. DISS. DNI. PRAES. de culpa §. 151. in schol.* Nam, uoce hac admissa, inuoluitur necessitas quaedam, nos obstringens, ut ita et non aliter faciamus, si quidem leges sic praeciperent. Nunc uero casus isque fortuitus lege uindicari non potest, ideoque uox illa merito cessat. Alias, illa substituta, factum non ad casum, sed ad culpam spectat uel dolum. *uid. Iamen KRESS. spec. pand. §. 13. p. 560.*

§. II.

Varia uocis: casus acceptio.

Innotuerunt autem, quo modo ex iuris nostri euolutione uberius edocemur, uariae casus acceptiones, merito hic obseruandae. *Primam* illius notionem dicere posses uniuersalem, quum casus omnia adpellantur *fata*, siquidem casuum tanta est uarietas, ut copia eorum legibus contineri nequeat, IULIANO in L. 10. et CALLISTRATO in L. 37. *de. LL. interpretibus.* Tum casus a Ictis accipitur pro culpa, seu facto inproviso, at tamen propter negligentiam poena digno in L. 31. *ad L. Aquil.* et L. 9. *de incend. ruin,*

ruin., ideoque et casus imprudentia culpae imputatur L. 32. de cond. et demon. L. 3. §. f. de susp. tut., hinc ad culpam, non casum tunc pertinet. B. de COCCII d. 1. Postea casus pro factis, quae a fortuna dependent, a POMPONIO in L. 5 §. 1. pro derel. L. 2. §. 7. de admin. rer. et in L. 1. §. 4. de O. et A. a GAI O usurpatur, humana providentia et diligentia exclusis. Denique strictior casus invenitur acceptio, quando venit pro hominis fortuna adversa, siue solito siue insolito, seu extra consuetudinem accedente casu, prout patebit distinctius ex evolutione L. 78. §. 3. de contr. emt. Tandem uocem periculum casum omnem, fortuitum etiam comprehendere, clare patet ex Tit. D. et C. de per. et sommod. nec non ex L. 5. de nauit. foen. Communiter uero uox periculum de culpa dicitur. uid. L. 21. C. de iur. dot. L. 52. §. 3. pro soc. Ex hac communi uocis: periculum acceptione quidam inferunt, eum ex pacto de casu teneri, qui casum *expresse*, non qui periculum in se recepit, nequidem, licet ad omne periculum se adstrinxerit. L. 7. §. 15 de pact. L. 4. de magistr. conuen. ut ut sententia haec ex dictis LL. non directe probari possit.

Equidem perbene nobis sumus conscii, terminorum *fati*, *fortunae* et *casus* apud omnis aevi philosophos fuisse et adhuc esse distinctionem: tamen uero lectos iis promiscue usos esse, satis loquuntur L. 1. ad L. Corn. de sicar. iuncta L. 24. §. 3 de damn. inf. Quas tres uoces caeteroquin diuersas uno conceptu iurium prudentes effe-

A 2

Fortuita
quid?

runt per uoculam: *fortuitorum*, quae definiiri possunt per *causas humanarum actionum extra homines consistentes, quarum effectus agentibus non imputentur.* L. 2. §. 7. de *admin. rer. ad ciuit.* Nam fortuito quod fit, nemini aut per naturam aut per leges imputari potest. L. 5. C. de *peric. tut.*

§. III.

Variae species.

Quo autem distincte adpareat id, de quo in primis sermo suscipitur, obseruetur merito; quod, ubi nihil est culpaue negligentiae, ibi non simpliciter innui casum, sed casum *fortuitum, maiorem, inprovisum, fatalem*; casum autem *fortuitum* culpa carere, et *inprovisum* talem esse, quando culpa aliqua interuenerit, quae occasionem casus, praeter opinionem euenientis, dedit, constans est prudentum opinio. Quandoquidem uero non est una casuum euentuumque fortuitorum causa, ideo genus illorum noscitur uarium. Sic CAIUS in L. 1. §. 4. de *O et A. nec non IUSTINIANUS in §. 2. Inst. Q. M. R. C. O.* casus fortuitos diuidit in *uim maiorem* et *casus maiores*. Illuc referunt ea damna fatalia, quae ui diuina, aut naturali accidunt, quorum exempla sterilitas terrae motus, tempestas; generis autem posterioris esse dicunt, quae aut ui humana eueniunt, ut naufragia, hostium incurfus, aut alia ui externa quadam, siue ea bestiali ut *graculorum depastione*, siue fluuiatili, ut inundatione fluminum accidunt. Quam memoratam modo uim maiorem rursus subdiuidunt in *internam* et *externam*; ut interna

terna sit, si uicium ex re ipsa oritur, nulla e-
 uidenti causa extrinsecus adparente. Ex-
 emplum prostat in morbis et morte animalium.
GUIACIUS L. XV. c. 28. obseruat. Externa
 autem uis ex mente interpretum ea uocatur,
 quae uel caelitus inmittitur, uel a rebus infe-
 rioribus infertur, u. c. tempestate, sterilitate.
 Quas uis maioris caelitus inmissas species sci-
 te describit **PLIN. XVIII, 28, 69. hist. nat. edit.**
HARD: A rebus uero inferioribus uis maior ex-
 terna infertur uel a rebus inanimatis, animatis
 uel brutis uel ab hominibus. *Conf. L. 18 pr. commod.*
L. 15. §. 2. loc. cond., nec non **BALDUIN TOM. 1.**
p. 83. ed. Heinecc. ZIEGLER. Diff. de cas. fort.
§ 15. MEDICES TR. de cas. fort. PART. 1. qu. 12.

§. IV.

Casus, uel definitionis (§. 1.) nulla diligen-
 tia humana praecaueri et praecideri potuit,
 ideoque damnum ex ignorantia inuincibili illa-
 tum, adhibita quamuis, quae a quolibet re-
 quiritur, diligentia, ad casum recte refertur, et
 a nemine praestandum refarciendumque est.
 Extant duo hanc in rem notatu digna in iure
 nostro exempla. Alterum in *L. §. C. de peric. tutor.*
 inuenitur, ubi Imperatores rescripserunt: *Si quis*
tutor petitus, uel testamento datus, se constitutum esse
non ex remissioris negligentiae uitio, sed iustae ignora-
tionis ratione non didicerit, periculo eius temporis, quod
ignorante illo transmissum est, eum non teneri. Alte-
 rum, quod de casu datur exemplum in §. 3.
I. ad L. Aquil. legere licet, de putatore scilicet

Damnum
 ignorantia
 inuincibili
 datum re-
 fertur ad
 casum.

A 3

de-

1771

deiciente ramum, quo nocitum fuit, proclamante. Utrum uero uincibilis, an inuincibilis, qua damnum factum est, ignorantia ad factum quoddam accesserit, ideoque uel ad culpam uel ad casum referenda sit, praecipue in delictis inquiritur, si homicidium casuale peruestigatur atque culposum. *uid. CARPZ. Pr. Crim. qu. 27. n. 63.*

§. V.

*Praestare
casum
quid?*

Peruenimus ad alteram instituti nostri, priusquam ulterius progredimur, definitionem, quidnam nimirum loquutio illa: praestare casum, inuoluat. *Est itaque praestatio casus damni, fortuito dati, reparatio.* Quum uero damnum casuale, tanquam laesio sine dolo et culpa nostra contingat, quae praecaueri (§. 1.) non potuit, recte et uere *Φιλοσοφικῶς* suo iam tempore ARISTOTELES de casibus iudicauit: *infortunia esse, quae praecideri non potuerunt, nec inprobo fiunt animo.* RHET. XIII. Selecta sane sunt, quae hanc in rem adfert PETR. BURGIUS *elector. Cap. V. p. 318.* TOM. I. T. I. R. EU. OTT.

§. VI.

*An casus
praestatio
recte susci-
pi possit?*

Damna, quae casu inferuntur, inuitis quidem et non merentibus accidunt, sicque iniustum quid illi patiuntur; quum iis tamen ab aliis nulla inferatur iniuria, nullo, eos qui iniuria adficiat, existente, hinc casus regulariter

ter praestandus est a nemine. Tamen uero quum ad ea, quae nec physice nec moraliter sunt impossibilia, quemuis se obligare posse, ipsa obligationis natura loquatur, ideo fortuitorum recte suscipitur praestatio. In qua tamen casus susceptione, sicuti circa pacta reliqua illud quoque attendatur, ne conuentio contra bonos ineatur mores, ne dolus, ne culpa lata praestentur. *uid. L. 23. de. R. I.* Neque est, quod quis forsitan obiciat, praestationem fortuitorum humanas excedere uires. Nam sub praestatione illa nihil aliud quam damni dati refusio intelligitur, cuius susceptio rationi respondet. *L. 9. §. 2. de locat.* In primis hic uero notandum uenit, quod ad contrahentium uerba specificè respiciatur, ipsorumque uerborum propria consideranda sit significatio. *L. 79. §. 1. de leg. 3.* Exempli loco sit facta a contrahentibus *periculi* mentio, a qua susceptio *uis maioris* (§. II.) probe secernenda est *L. 36. locat.*

§. VII

Varii tam uarie casus accidunt, atque eueniunt, totque illorum existunt, ut multitudinem numerari non posse, recte iam pronuntiauerit IUSTINIANUS in *L. 15. et 16. C. de facta, qui- usufr. L. ult. C. de praeser. 30. uel 40. ann.* Quod si ideo quis casum pacto in se suscepit, an de *insolito*, et, ut loqui etiam amant, *insolitissimo* paciscens teneatur, ualde intricata oritur quaestio? Abeunt hic diuersas in partes iurium prudentes

Casus sus-
ceptione
generatim
nam praes-
tandi? es

dentes. Qui pacto quodam *periculum casuum*
fortuitorum in se suscepit, eum de casu *insolito*
 non teneri, cum aliis latius defendit GAIL.
 L. II. *obs.* 23. n. 18. et *obs.* 52. n. 27. nec illum
 sensisse uideri de casu insolito. RAUCHBAR
 P. II. *qu.* 29. n. 20. BESOLD. *cons.* 194. n. 61.
 Neque admittunt exceptionem: si quis casum
expresse in se receperit, quomodo explicari pos-
 se L. 9. §. 2. *locat.* L. 23. *de R. I.* existimant.
 Suam enim hanc explicationem ita comuni-
 ter limitant, ut quis nec teneatur de casu *rario-*
ri et ualde insolito, siquidem de eo paciscentem
 cogitasse non praesumendum sit. Atqui ad
 non cogitata non extendi contractum. Ex ad-
 uerso alii, litem hanc adfirmatiue decidentis,
 ita citatas LL. explicant, ut paciscens *roga-*
tus de casu rarissimo, facilius hunc in se, quam
 casum usitatiorem recepisse uideatur. RICH-
 TER *Velit. acad.* 1. p. 24. Similem memoratis
 ex legibus deductam explicationem ex L. 78.
 §. *ult. de contrh. emt.* nonnulli eliciunt, quod sci-
 licet casum tempestatis *fortuitum* suscipiens non
 sensisse uideatur de casu *saepius contingente*. Alii
 denique, ulterius adhuc progredientes, distin-
 ctionem inter casum *fortuitum* et *insolitum* admit-
 tere nolunt, ideo, quia casus omnes sint insoli-
 titi. PANTZSCHM. P. 1. *qu.* 7. *de Locat. et cond.*
 KRESS. *spec. pand.* § 3. p. 484. Eligunt nostra qui-
 dem ex sententia ii optimum hac in lite deciden-
 da medium, qui *frequentissimos, maiores ac rarissimos*
 bainuicem separant casus, sicque de posteriori-
 bus non cogitasse paciscentes, rectius adstruetur.

Quae

Quae quidem interpretum uerior sententia ex
cit. L. 78. probari nequit, sed ex ratione potius
 defendatur, quia non praesumitur, cogitasse
 contrahentes de casu plane insolito, centum an-
 nis uix ac ne uix quidem contingente. Nunc
 uero renunciationem uel susceptionem casuum
 fortuitorum stricte esse intelligendam, nisi quis
 suscepit casus opinatos et inopinatos, qua specie
 de illis generatim sit cogitatum, facile defen-
 detur.

Nec de ea huc spectante inter se conue-
 niunt quaestione: utrum scilicet generale pa-
 ctum de praestando casus fortuiti periculo
 sufficiat, an uero specialis requiratur for-
 tuitorum enumeratio quaedam? Prius de-
 fendentes ad *L. 7. §. 15. de pact. L. 9. §. 2. locat.*
 et *L. 78. §. 3. de contrab. stipul.* prouocant. Ge-
 nere enim expresso, expressas quoque censer
 eius species. *arg. L. 79 pr. de leg. 3.* nec uoculam
omne quidquam excludere. Alii uero quasdam
 casus fortuiti species exprimi in contractibus
 uolunt, ut liquido nimirum adpareat, an de
 casu insolito uel plane insolitissimo* partes in
 paciscendo cogitauerint. Quorum tamen po-
 sterior, prout nobis uidetur, rectius reiiciatur
 opinio, imprimis, si casum suscipiens de rarissi-
 mo interrogatus sit, ubi casuum insolitorum
 diiudicationem iudicis arbitrio relinquendam
 esse, prudenter statuit MENOCHIUS *L. 2. Cent.*
1. Cas. 80. tit. 9. de arbitr. iud. qu. conf. L. 7. §. 5.
de pact.

*An casus
 specificè ex-
 primendi?*

B

§. VIII

§. VIII.

*Distinctio
inter con-
tractus b. f.
et stricti
iuris nec
non b. et m.
f. possesso-
rem.*

Quem ad modum uero in praestantissima de
culpīs, ita nec minus in praesenti aequae peru-
tili ac necessaria circa casus praestationem
doctrina inter contractus bonae fidei & stricti
iuris, obseruatis Romanorum principiis, com-
mode distinguitur, adiecta insimul inter bo-
nae et malae fidei possessorem differentia.

§ IX.

*Regula de
casu.*

Casus, quo modo scribit ULPIANUS in L. 23.
de R. I. ut animalium mortes, quaeque sine culpa acci-
dunt, a nullo praestantur. Exhinc elicitam inuenimus
regulam: Casus in nullo b. f. contractu praestatur. In-
telliguntur uero ea a laudato iam iam ICTO
fortuita, quae praecaueri non possunt. L. 6. C.
de pign. act., ideoque dominus fortuita ferat
ob ea, quae percipere dicitur commoda. L. 10.
de R. I. quidpe alteri, rei causam non danti,
nihil inputandum est. Unde etiam per igno-
rantiam et praeter uoluntatem admissa delicta
non uindicantur, fatoque potius, quam culpae
inputantur. Inuoluntaria ideo delicta meren-
tur ueniam. Hinc prudenter PLATO LIB. IX.
de LL. Fortunae, inquit, imperare nullus legislator
potest; nec non LIB. XII. Mali, pergit, ignauique
semper puniendi sunt, ut meliores fortioresque euadant
infortunati uero minime. Quapropter, si quis casu teli,
quod manu fugerit potius, quam emissum sit, ali-
quem

quem ferierit uel occiderit, ei ignoscatur. *uid.*
species L. 11. §. ult. de poen. Sicuti uero casus for-
 tuitos a quoquam lui iniquum est, ita errori,
 si is cum consilio malo uel culpa coniunctus sit,
 non ignoscendum. PETR. BURGIVS *cir. loc.*

§. X.

Observata hac in doctrina, quam in praesenti
 persequimur, inter b. f. et stricti iuris con-
 tractus distinctione, prioris generis contractus
 carptim, quoad fieri poterit, primum per-
 pendemus.

*Aplicatio
 regulae ad
 contractus:*

Quem Romani pro sanctissimo con-
 tractuum semper habuerunt, de deposito scili-
 cet fiat initium. In contractu hocce depositarium
 casum non praestare, constans est iuris Latii
 adsertio. L. 20. D. et L. 1. C. de depof. Fit enim
 depositum in gratiam dantis, non accipientis.
 Immo, si de periculo praestando conuentum
 fuerit, casum non intelligi, longa legum cita-
 tione probat BRUNNEM. ad dict. L. 1. C.
 depof. Exceptio tamen inuenitur in L. 5. §. 2.
*commod. nisi forte et merces accessit; tunc enim
 etiam culpa exhibetur: aut, si hoc ab initio conuenit,
 ut et culpam et periculum praestet is, penes quem depo-
 nitur.*

depositi,

In pignoratitio contractu idem iuris esse nos
 instruunt Imperatores in L. 19. C. de pignorib.,
 quod nimirum pignorum creditor uim maio-
 rem

pignoris;

rem seu casum praestare non habeat necesse. Praestatur tamen et tunc casus, si quis propria auctoritate rem occupauit. L. 6. et 30. *de pignor. act.* In pignore autem et culpam praestari *leuissimam*, contra iuris analogiam statui aduersus STRUVIUM recte defendit B. HENRIC. *de COCCEH. Collat. IX. ad Struu. §. 1.* Nihil quidppe probant L. 13. §. 1. *de pignor. act.* et §. *ult. Inst. Q. M. R. C. O.* Quia frugi et diligens paterfamilias apud ueteres Ictos idem est, quod diligentissimus.

mandati,

Circa praestationem casus in mandato durissima certe uidentur PAULLI dicta in L. 26. §. 6. *mand.*, quod u. c. mandatarii damnum sit, si a latronibus fuerit spoliatus, si res naufragio amiserit. Nam recte regeritur: mandantem damni occasionem dedisse, ideoque etiam ad mandantem casum spectare debere fortuitum. Nec uel ea excusabit, quam quidam obmouent, distinctio: occasionem non nisi illis inputari, qui in actu uersantur prohibito. Certe enim mandatarius non iuisset, nisi a mandante mandatum, ut iret, accepisset, ut recte AFRICANUS in L. 61. §. 5. *de furt.* pronuntiat, prudenterque rescripserunt Imperatores in L. 13. *C. eod.* mandatarium casum fortuitum, in re mandata contingentem, non praestare, imprimis, si mandans periculum bene sciuerit. *uid. STRUU. EX. XXII. §. 12. S. I. C.*

societatis,

In societate ad damna quod adinet fatalia, socii ea praestare coguntur, si v. c. incendio, latrocinio res, licet aestimato data sit, perierit, nisi

nisi dolus uel culpa socii alterutrius accesserit. Sic surreptum quod est a furibus, cui sociorum id acciderit, illius erit detrimentum. Deuisset enim custodiam is praestare, qui aestimato quid accepit. L. 2. §. 3. *pro soc.* Nam praesumitur culpam eius, cui custodia commissa est, uel culpam inhabitantis accessisse. *conf.* TABOR DEC. CXXIV, 8.

Fundamenti loco hic est L. 22. *C. h. t.*, ubi disponitur, quod alienum gerentes negotium, non teneantur ad casus praestationem, nisi culpa uel speciale pactum interuenerit. Inueniuntur tamen exceptiones quaedam, ubi casus praestatione negotiorum gestor fungatur necesse est. Exempla prostant in iis, qui pupilli negotia gessere L. 2. *h. t.*, qui depraedandi animo negotium gerendum susceperunt. L. 6. §. 3. L. 10. pr. et L. 11. *eod.* Adicias, si placet, si quis praemonitus a domino, ne ipsius gerat negotia, nisi cum casus fortuiti susceptione. Bellissime sermocinantem uide sis PAULLUM in L. 13. *de neg. gest.*

De re communi species ab ALFENO in L. 26. *comm. diu.* proponitur deseruo in opere crus frangente, ubi alterum dominorum non de casu, sed de culpa teneri, respondet Ictus.

Tam ad heredem quam fideicommissarium in hereditatis communiione spectare casum adlata specie PAPINIANUS defendit in L. 34. *famil. hereditatis communiouis, ercis.*

erciso., ideoque nec heres fiduciarius casum praestat, sed inpenas in rem, casu destructam, repetit. L. 58. de. Leg. 1.

emphyteu-
seos,

In contractu hoc casus dominum inter directum et emphyteutam uidetur diuisus. Tamen uero secundum L. 1. C. de iur. emphyt. hoc ita limitant, ut casus maior ad dominum, minor ad emphyteutam referatur.

rerum per-
mutationis,

In permutatione, quum ex re tradita initium obligatio capit, L. 1. §. 2. de rer. permut., ante rem traditam rei periculum spectat ad dominum, qui eam adhuc possidet. Quapropter tradita re cum dominio quoque rei periculum in alterum transfertur.

§. XI.

emtionis
uenditionis,

Progredimur ad emtionem et uenditionem. De contractu hoc regula est: *periculum, perfecta emtione, ad emtorem pertinet.* L. 8. de peric. rei uend. Neque requiritur, ut res ipsa tradita sit emtori, sed sufficit, quod rem sibi tradendam semper petere possit. BACHOV. ad §. 3. l. h. t. Rei autem interitus post perfectam emtionem, non quidem ex relatione dominii, sed ex commodi et incommodi consequutione adsignatur emtori. L. 7. de per. et com. rei uend. Nihilominus exinde eliciunt regulam: *res perit suo domino* L. 9. C. de pign. act. Prior uero regularum huc adducta limitationem quandam recipit, nisi uenditor

ditor in venditione dixerit: si quid ui aut tempestate factum esset, se praestitutum. Tunc enim casus praestationem in se suscepit uenditor. Quid si uero contra consuetudinem tempestatis quid acciderit, an casum quoque illum uenditor praestare debeat, disputatur? Neque enim casus insolitos, (§. VII.) et de quibus contra-hentes uix cogitare potuerunt, uenditorem in se suscepisse, credibile est. Respondet tamen LABEO in L. 78. §. ult. de contrab. emt., nihilo minus cum uenditore, si contra consuetudinem tempestatis casus acciderit, ex emto agi posse. Quam LABEONIS sententiam communiter, falso licet, ita explicari legimus, quod is, qui suscepit casus fortuitos, non teneatur, nisi de communiter contingentibus. Neque ACCURSII, quam et alii defendunt, probanda est dictae legis explicatio, statuentis: eum, qui recepit in se casus fortuitos, uideri recipere inopinatos et insolitos, non autem ex consuetudine contingentes. Potius lectio textus emendetur, et pro uocula: Si substituatur uocabulum: *etsi*, ut hoc modo legatur: *etsi immoderatae fuerunt et contra consuetudinem.* Neque obiiciatur L. 5. de transact., dum, Aquiliana stipulatione interposita, lites, de quibus non est cogitatum, in suo statu retineantur. Transigimus enim de lite certa. Quare, si quae lis aut res nominatim non est comprehensa, nec de ea transactum est. Casus fortuiti sunt incerti, nec de iis cogitari potest, nisi in genere et confuse. *conf.* DESID. HE.

HERALD. *Obs. Cap. 30.* TOM. II. T. J. R. p. 1350. *Eu. Ott. (§. VII.)* Quodsi uero imperfecta adhuc sit emtio, periculum nondum transit. Exempla sunt in uenditione conditionali L. 8. *de per. et comm. rei. uend.*; si res numero, pondere aut mensura constans, uendita, nondum autem ad mensuram adpenfaue sit. L. 35, §. 5. *de emt. et uend.* ubi etiam in §. 6. exceptio inuenitur; quod idem obtinet, si emtio generis facta sit. Pulcrum certe exemplum fuit PAULLUS in L. 14 §. 2. *de per. et commod. rei uend.* Lites de non perfecta emtione et uenditione, si ex partium uoluntate scriptura prius accedat, STRYKIUM inter et GUIL. LEYSERUM orras, diu uero iam sopitas, quis nescit?

Notatu dignam satis, priusquam ad reliquos progredimur contractus, hic tractamus quaestionem; an nimirum regulae de emtione et uenditione ad locationis et conductionis quoque contractum adplicari possint, siue, an edictum aedilitium ad locationes etiam pertineat? Adfirmatiuae, moti forsan auctoritate CUIACII *lib. XII. obs. c. 38.* sententiae plurimi subscribunt, hac nixi ratione, quia in L. 2. *locat.* legimus: familiaritatem inter se habere emtione et uenditionem ac locationem et conductionem, iisdemque regulis hosc contractus consistere, mirumque uideri ipsi ULPIANO in L. 63. *de aedil. edict.* aediles non idem edixisse de locationibus, quod de emtionibus, et reddi

reddi quidem hanc rationem, uel, quod aedilium de locationibus iurisdictio non fuerit, uel, quod eodem modo non contrahantur locationes atque emtiones. Quas adductas tamen rationes, nec VLPIANUM adprobare, adparet. Nihilominus laudatus modo exinde concludit CUIACIUS, rationem non paruam esse producendi aedilitii edicti ad locationes et conductiones, exemplo sequenti subiuncto: quod v. c. conductor ob aedes pestilentes, non sanas agere possit redhibitoria, rescisso locationis et conductionis contractu. Eadem quoque sententia est MEUII P. II. D. 380., quod scilicet conductor opilionis ab hoc poscere possit, ut pecus sanum comparet, quia, sicuti ob pecus morbidum in emtione locus est redhibitioni, ita etiam in locatione. Rectius uero nostra ex sententia contrarium potius tuebitur, idque duplici, nisi fallimur, ex causa, tum, quod aedilitium edictum ad locationem et conductionem Romani proferre ideo noluerunt, quia actionem locati conducti, uitio adparente, sufficere forsitan arbitrabantur, tum quoque, quia Praetor ius cuiuslibet pro lubitu facile mutabat. *Conf. Ian. a COSTA ad Inst. p 416.*

§. XII.

In locatione et conductione primum notandum uenit, rei locatae periculum ad locatorem, tanquam ad dominum pertinere, nisi aliter fuerit conuentum. *locationis conductionis, Re-*
L. 9. de pignor. act. L. 9. §. 2. locat., ubi etiam, gula hic

C

con-

conventionem licet obstante, casus maxime insolitus respectu conductoris communiter excipitur. Speciem tractat ALFENUS in L. 31. *locat.* naufragii scilicet periculum pertinere ad locatores, si sine dolo et culpa nautae naufragium contigerit, et repetere duntaxat posse uecturas, si quas dederint in antecessum. CUIAC. XII. 40. *Obseru.* Elegantis tamen speciei, quam proponit ULPIANUS *lib. XXXII. ad Edict.*, haud inconcinne hic quoque mentionem iniici, arbitramur. Si conuentum uidelicet est in locatione, quod conductor ignem non habeat, nihilominus habuit tamen, et fortuito casu accidit incendium, quod teneatur conductor de casu fortuito, dubium non remanet. Nam ignem habere plane non debuit. Neque obstat, conductorem sine igne uitam sustentare non posse, idque notare etiam laudatum ICRUM, quod aliud sit ignem non habere, aliud ignem innocentem habere, sub quo certe ignis ad praeparandos cibos uitamque sustentandam intelligitur. Quae ignem habendi facultas conductori tacite concessa uiderur. Interim sibi impuret conductor, quod tali subscripserit, ignem plane non alendi, contractui. Similis est decisio eiusdem ULPIANI in L. 9. §. 3. *locat.*, si colonis, ut innocentem ignem habeant, denunciatum sit, fortuiti scilicet incendii periculum ad locatorem non spectare. Ad quam legem notat Io. STECKIUS *uind. LL. anticris. Cap. XXI.* retinendam esse lectionem consuetam.

Tom. I. T. I. R. Ast uero iam iam memorata

rata de casu regula tam latam recipit explicationem, ut conductori, qui re conducta uti non potuit, merces remittatur, iam data uero restituatur *cit. L. 9. §. 1. h. t.* Nec minus, si fructus sterilitate, uel ui quadam maiori conductor laesus fuerit, pro rata pensionis fiat remissio *L. 15, §. 2. L. 25. §. 6. locat. et L. 6. Cod. eod.* Damna uero, quae conductor passus est, refarciuntur ita, ut sequentes semper obseruentur limitationes: *Damni exigui non habenda est ratio. L. 25. §. 6. Locat.* Porro: *Vitia intrinseca seu ex ipsa re prodeuntia, non sunt attendenda L. 15. §. 2. locat.* Postea: *Unius anni ubertas cum alterius anni sterilitate est compensanda. dict. L. 15. §. 4.* Deinde: *Fructuum perceptorum periculum ad conductorem, pendendum est a solo separatorum ad locatorem spectat L. 25. §. 1. de usur.* Praeterea: *Conductoris damnum est casuale, in specie L. 12. C. locat.* Denique: *opus, quod auersione locatum est, donec adprobetur, conductoris periculum est, iudicante ita FLORENTINO in L. 36. h. t.* De locatione operarum notandum uenit, locatorem operarum totam accipere mercedem, si sine culpa nec eius infortunio, nec non, si impedimentum fuerit commune, ut si bello inpeditus, durch einen Land = Krieg, operas non praestitit; quodsi autem sua culpa aut suo infortunio fuerit inpeditus, totam non accipiet mercedem, *uid. species in L. 38. et. L. 19. §. 9. 10. eod.*

Regulae restrictio

C 2

§. XIII.

§. XIII.

commodati,

Ad contractum commodati si respicimus, famosa in eo adplicatur regula: *res perit suo domino*. L. 9. C. de pignor. act. In hoc enim contractu dominium penes mutuo dantem remanet, ergo casum fert comodans. Exceptiones huc spectantes inuenire licet in L. 1. §. 4. de O. et A., nisi scilicet comodatarii culpa uel accesserit uel praecesserit L. 5. §. 4. h. t. Non enim casus potest esse fortuitus, cui culpa praeuia est. Nec minus casus praestatio incumbit comodatarario, si de re commodata interpellatus eam non restituit. Mora enim transfert periculum casuum fortuitorum in detentorem L. 12. §. 3. depof. nisi casus culpam et moram praecesserit L. 37. mand., quia mora sua cuique nocet. Pactis quoque comodatarium casum in se suscipere posse, notum est. Quo facto, periculum in se suscipiens casum fatalem recepisse praesumitur. L. 34. de R. I. L. 38. de act. emt. L. 39. mand. (§. 11.) An uero aestimatio rei transferat periculum in comodatarium, disputatur? Distinguit BRUNN. ad L. 1. C. commod., utrum aestimatio fiat statim initio, et tunc in dubio, nisi aliud actum, facere emtionem et transferre periculum L. 5. §. 3. commod., an uero fiat ex post facto, et hoc quidem sine, ut cognoscatur pretium rei, tuncque periculum non transferri.

contractus
aestimato-
rii,

De contractu aestimatorio, ad quem in illo spectet periculum, interpretes non conueniunt.

unt. Varias huc pertinentes quaestiones uide
 fis apud IASON ad L. 1. n. 1. de aestim. act.
 nec non BACHOUUIUM ad Treutl. Vol. 1. D.
 ult. th. 2. lit. E.

Circa rem precario acceptam accipiens non *precarii*,
 praestat casum iuxta L. 8. §. 6. de precar. Acce-
 dit, precarium donationis speciem esse potius,
 quam contractum. CUIAC. IV. 7, obseru.

Casus in dote accidens non ad maritum, *dotis dati-*
 quidpe qui reuocabile tantum exercet domi- *onis.*
 nium, sed ad uxorem pertinet L. 58. §. 1.
sol. matrim., nisi debeatur quantitas, ut si
 marito fundus aestimato datus est: item, si de-
 bitor extraneus, qui ex necessitate promisit
 dotem, non soluendo existat, ac maritus cul-
 pam in exigendo commiserit. Tunc enim sibi
 inputet maritus, dotem quod non rigidius
 exegerit. L. 33. de iur. dot. conf. ILLUSTRISS.
 L. B. de COCCEII. iur. contr. p. 160. P. 11.

§. XIV.

Casum in nullo b. f. contractu (§. IX.) *Excepti-*
 praestari, adductis contractuum exemplis, ha- *ones*
 etenus perpensum fuit. Nunc uero exceptiones
 a memorata superius regula quatuor inprimis
 notandae ueniunt. Prima earum est, casum
 praestari, si *dolus uel culpa casum praecesserit uel casui*
interuenerit. L. 18. §. 4. commod. Altera excep-
 tionum esse dicitur: *Si mora ad casum accesserit.*
 L. 5. de reb. cred. Quae tamen adfertio limitatur in

C 3

L. 14.

L. 14. §. 1. *depos.* et L. 21. *de usur.* Tertio excipiunt: *Si res aestimato data fuerit.* Quam uero exceptionem communiter ita limitant, utrum res *uenditionis*, an *taxationis* gratia sit tradita. L. 10. C. *de iur. dot.*, ut in specie priori periculum in accipientem transferatur L. 5. §. 3. *commod.* Nam accipiens factus est debitor generis, quod non perit, uel rectius dominus, qui rem pro lubitu alienare potest L. 109. *de leg. 1.* Posteriori specie periculum in suscipientem non transit, releuat tamen ab onere probandi pretium. Dissentiunt FRANZKIUS *ad Tit. commod. n. 44.* et MAURITIUS *opusc. de aestimat.* Quaestionem, utrum in dubio aestimatio uenditionis, an taxationis gratia adiecta praesumatur, distinguendo soluit LAUTERB. *ad Tit. de aestimat. act.*, discernens negocia, in quibus regulariter per rei traditionem eiusdem dominium in accipientem transfertur, et in quibus non transit, ut in illis uenditionis, in his taxationis gratia factam esse aestimationem, dicendum sit. Nec obstat L. 3. et 54. §. *f. locat.* Ibi enim non agitur de contractu aestimatorio, sed tantum dicitur de aestimatis accessoriis praedii rustici instrumentis, quae usu adteruntur. *uid. PANTZSCHM. L. 1. qu. 6. n. 38.* Postremo memoratam saepius regulam et hac exceptione limitant: *Si quis periculum casumque in se receperit* L. 1. C. *commod.* (§. VI,)

§. XV.

§. XV.

Progredimur, iuris Romani doctrinam sequentes, ad contractus, quos stricti iuris negotia appellare moris erat, an casus in iis praestandi ueniant fortuiti perpendendo? Frequens admodum inter illos fuit tam celebris Romanorum *stipulatio*. In uerborum obligatione non aliter casum a promittente esse praestandum, quam si per eum steterit, quo minus stipulatio impleatur, ex L. 32. de V. O. adparet, dolo uel culpa illius accedente. L. 37. et 91. eod. L. 24. §. 3. de damn. inf. Exinde inferri consuetum est: datum simpliciter promittentem illud non praestare, si relinqui non potuit. Suadent itaque, ut speciales casuum causae exprimantur iuxta tenorem L. 4. §. 4. Si quis caut., ubi ULPIANI haec contra ATILICINUM est notatio; siquidem in praetoriis stipulationibus benigniorem ex mente Praetoris faciendam esse interpretationem, quam in contractibus, in quibus generalis casuum fortuitorum renunciatio ualet. PINELL. P. I. cap. 3. n. 27. Si communem ad sententiam hic respicimus, inter debitorem rei certae et incertae distingui, legitur. In specie priori debitorem interitu rei certae liberari, ex L. 33. de V. O. patet, nisi culpa eius seu mora accesserit. L. 82. et 91. eod. Haec tamen exceptio suas rursus agnoscit limitationes. Sic debitor de casu non tenetur, si iuste distulerit solutionem L. 21. de usur., dum scilicet res, ut ut tradita, apud stipulantem quoque fuisset peritura

L. 14.

Uterior regulae adplicatione ad contractus:

stipulationibus,

L. 14. §. ult. *depos.* Ex aduerso, debitorem rei incertae, generis seu quantitatis, eius interitu non liberari, quidpe quae non pereat, L. 30. §. 5. *ad. L. falcid.*, nisi exceptio ex L. 72. *de solut.*, accipientem ex iusta causa rem accipere recusasse, adferri possit.

§. XVI.

mutui, Mutuo accipiens ob translatum a mutuantem dominium ad casum semper praestandum obligatus manet. L. 1. §. 4. *de O. et A.* Nam debitor generis non liberatur interitu speciei. Binnae tamen, quod debitor de casu non teneatur, notare hic simul conuenit exceptiones. Primam speciem proponit MARCELLUS in L. 72. *de solut.* Qui decem debet, inquit, si ea obtulerit creditori et ille sine causa ea accipere recusauit, debitor doli mali exceptione potest se iuari. Etenim non est aequum teneri pecunia amissa, quia non teneretur, si creditor accipere uoluisset. Altera sistitur exceptio in pecunia traiecitia L. 4. *pr.* et L. 4. *C. de naut. foen.* periculo creditoris traicienda.

hereditatis, Tandem in hereditatis aditione regula est casus spectat ad legatarium. L. 26. §. 1. et L. 47. §. 4. *de leg.*, nisi legatum generis seu quantitatis sit, nec dolus culpaue heredis accesserit, uel heres in mora fuerit. L. 23. *de V. O.* L. 47. §. 6. *de legat.*

condictionis.

Denique praestatio casus locum quoque inuenit in conditionibus seu repetitionibus, si

si datum quid est, ut uicissim detur et accipiens in mora uel culpa constituitur L. 10. C. de cond. ob caus. dat. Alii uero cum iudiciosissimo BACHOUIO ad Treutl. Vol. 1. Disp. XXII. th. 2. distinguere huc malunt, quod tunc repetitio non detur, si causa dationis in facto tali consistat, quod magis in tertii, quam dantis fauorem sit adiectum, nisi res certe interitura quoque fuisset apud dantem; L. 5. §. ult. de cond. caus. dat. uel factum illud dantis commodum respiciat, quo casu detur repetitio iuxta L. 4. C. de condit. insert. Siue, si species plane talis sit, ubi casum nemo, uel accipiens tantum praestare possit, repetitionem cessare. In uexatissima hac ob factorum diuersitatem specie tum aequitatis tum iudicis arbitrii rationem praecipue esse habendam, nonnulli cum CARPZ. P. II. Const. 38. def. 24. arbitrantur. Quodsi uero datum quid sit, ut fiat, datum simpliciter, si factum non sit, condicere possum. L. 15. §. 6. locat. uid. DON. PRAES DISS. de orig. condit. §. XVI. Causarum patroni, quod illis datum est, casu autem quo minus negotium peragant, impediti fuerint, iure eis ita fauente, secure retinent L. 1. §. 13. de extraord. cognit. L. pen. C. de cond. ob caus. dat. En conditionem aduocatorum prae aliis ditescentium lautissimam!

§. XVII.

Quemadmodum uero praestationes, ex contractibus prouenientes, tanquam contractuum accidentalialia, salua eorum substantia, pactis

Pacta con-
uentione
restingun-
tur, appli-
antur.

D

cris adiectis inmutari possunt: ita contrahentium relictum est arbitrio, quemnam modum contractui suo esse uelint inpositum. Missis hic singulis contractuum speciebus, ne longiores in re, a nobis superius iam tractata, esse uideamur, exemplis perspicuis in L. 1. C. *commod.* L. 5. §. 10. *eod.* L. 1. §. 6. *depos.* exstantibus, ea si placet, inspiciantur.

De contractu sociidae

Iam de contractu sociidae, qua dominium et casus pecorum aestimatorum in aliquem hoc modo transfertur, ut, contractu finito, tot pecorum, quot accepit, eiusdem generis capita restituar, uel duo adiicimus uerba. In contractu hoc casus fortuitos et mortes animalium aestimatorum, das allgemeine Sterben des Viehes, a conductore uel pastore praestari, inuenimus. L. 52. §. 3. *pro. soc.* Quam ob rem sibi bene prospiciat conductor, ut excipiat casus quosdam. BEYER *Iur. Germ* II, XXII, 6. Et conuentio haec ueluti locatio conductio, aut tanquam contractus innominatus tolerari potest, actioque de praescriptis uerbis hoc ex negotio concedatur. L. 13. §. 1. *de praesc. uerb.* TABOR. *Diss. de sociid.* Huncce uero contractum a Romanis, et nominatim ex L. 8. C. *de pactis*, quale quid cum TABORE nonnulli somniant, repetere uelle, inconcinni certe foret operis. Licet enim illius in antiquo Germanorum iure uix mentio occurrat; eiusmodi tamen pacta ante iuris Romani in Germania receptionem usu uiguisse, quam rectissime adstruitur *uid.*

HEINECC.

HEINECC. II, §. 405. I. G. Adfertionis ueritatem multa Germanorum bona colonaria, simili ratione iisdemque ac in contractu socidae conditionibus rusticis concessa, dilucide commonstrant. *uid. LUDEW. de iure scientes.* et STRUBE *de iur. uillicor. Cap. II, 3.* Immo pecora, quandoquidem secundum hunc contractum rebus ad censentur immobilibus, nonnunquam in feudum dantur. ANTON. *disp. feud. XIII.* De caetero contractus iste non aduersatur aequitati. Nam quascunque res pro certa mercede, susceptis casu ac periculo, dari posse, iam satis e- uicit STRYK *l. M. Tit. de locat.*

§. XVIII.

In praestatione casus, breuiori adhuc, quantum fieri poterit, notatione adiecta, nobilissima silentio non praetereunda est inter b. et m. f. possessorem distinctio. Tenendum ideo est, quod possessor b. f., rei corporali infestus, ante litem contestatam de dolo tantum respondeat, quia rem quasi suam neglexisse uidetur. L. 45. *de R. V.* Post factam uero L. C. et de dolo et de culpa obligatus manet, casum autem fortuitum praestare neutiquam tenetur. L. 40. *de hered. pet.* Casum tamen et tunc praestat, si sine iusta causa litem contestatus est, feceritque moram in re tradenda L. 24. *de usur.* L. 17. §. 1. *de R. V.* Quod ad m. f. possessorem adinet, ille tam ante, quam post L. C. casum praestare debet. L. 40. *de hered. pet.* Exemplum est in incendio

De distinctione inter b. f. & m. f. possessorem.

incendio. Incendium inter damna uel casus fatales
 et fortuitos refertur, ut, si contigerit per hostium
 latronumue incurfiones. L. 9. §. 3. L. 12. et 15.
 §. 3. *locat.* Certe, mala fide possessionem adri-
 piens, restitutioni damnorum, per incendium,
 licet casu fortuito, datorum, se subtrahere ne-
 quit. MOD. PISTOR. P. I. *qu. 25. n. 6.* Quem in
 finem clare admodum rescriptit ALE-
 XANDER. INP. in L. 1. C. *de his, quae ui etc.*, per-
 sequutionem, inquit, eorum, quae ui uel furto ablato
 sunt, etiamsi postea interciderint, integram esse. Ac-
 cedit culpa praecedens, quae nunquam non
 obligat possessores et inhabitatores ad restitu-
 tionem damni. L. 9. uerbis: *Si uero, de incend.*
ruin. L. 28. 12. de poen. Atqui m. f. possessores
 semper sunt in dolo et culpa, ideoque damni
 praestatio recte ab iis exigitur. L. 8. §. 1. et
 L. ult. *de condict. furt.* Sunt tamen momenta, mo-
 uere quae potuerunt iuris interpretes, aequi-
 tati ut plurimum studentes, ut m. f. etiam pos-
 sessoris rationem habuerint. Eiusmodi beni-
 gnior inuenitur sententia in L. 15. §. 1. *de R. V.*,
 si nimirum res similiter peritura fuisset apud
 petiorem. Vnde notatu digna sunt PAULLI
 in lib. XX. *ad Edict.* uerba: *Praedonem, inquit,*
tis, de se queri debere, qui sciens in rem alienam inpen-
dit. Sed benignius, adiicit Ictus, esse, in huius
quoque persona haberi rationem inpenfarum. Non enim
debere petiorem ex aliena ractura lucrum facere, et id
ipsum officio iudicis contineri, nec exceptionem doli mali
desiderari. Ast uero PAULLUM inter et CEL-
 SUM, summa Romanorum in iure capita, a-
 pertum

pertum hic dissensum intercessisse, quam liquidissime patet. Ita enim iterum docet PAULLUS in L. 13. de cond. furt. aestimationem adolescentis fieri, si infans surreptus adoleuerit, quamuis cura et sumtibus furis creuerit. CELSUS autem ex aduerso in L. 67. §. 2. de furt, Et quid, ait, tam ridiculum est, quam meliorem furis conditionem esse propter continuationem furti existimare. Quam quoque sententiam ALEXANDER INP. in L. 1. C. de infant. expos. amplectitur. Pro conciliandis ac rite explicandis hisce Ictorum sententiis multa in utramque partem disputari solent, ut plurimum ualde inconcinna. Quorundam frustraneis plane coniecturis iam iam omissis, certe non est, ut BRUNNEMANO ad cit. L. 13. calculum adiiciamus, de restituenda rei aestimatione, quanti plurimi fuerit, furem teneri, textum explicanti memoratum. Eadem enim PAULLI in LIB. XX. ad edit: ac in L. 13. cit., quae ex edicto desumpta, sententia est. Quam obrem, auctoritate interpretum seposita omni, ita statuimus: PAULLUM secundum aequitatem, quidpe cui Romanorum prudentes multum tribuebant, CELSUM ex iuris rigore, in fures seuerissimo, respondisse.

COROL

COROLLARIA.

I.

Non omnis dolus prohibetur.

II.

Venatio per deportationem non amittitur.

III.

Consuetudo legi non derogat.

IV.

Interesse lucri cessantis quivis recte petit.

V.

Rebus sacris nulla inest sanctitas.

VI.

Proprietarius fundo fructuario, ne quidem consentiente fructuario; et ex adverso, fructuario dissentiente, servitutem inponere potest.



Frankfurt a. O., Diss., 1746/50

ULB Halle

3

002 425 017





1746, 3
~~2, 395.~~ 3/
1776

DE
TESTAMENTO
ARCANO

AD L. XXI. C. DE TESTAM.

IO. CHR

I. V. D. COD.

IN

D. XII. KAL.

IOAN. I

S

FI

EX OFFICINA

